

ster]ii tui libere percipere salem per salinas Calabrie, emere quoque et vendere absque omni exactione et tra[nsire] terra marique indulto vobis ubique per terram demanii nostri plateatico et passagio. Ad hec concedimus et confirmamus tibi et monasterio tuo de Flore quinquaginta bisantios percipiendos annis singulis absque aliqua diminutione de salina Neti, que est prope Calabromariam, aut ante festum sancti Ioannis Baptiste aut in ipsa festivitate. Ipsum quoque monasterium sepedictum de Flore et monasteria, que quondam predecessor tuus abbas Ioachim fundavit in loco, qui dictus est Colosuber, nunc autem Bonum Lignum, et in loco, qui dicitur Tassitanum, et monasterium abbatis Marci necnon et monasteria, que tu de novo fundasti in tenimento fluminis Frigidi in loco, qui nunc dicitur Fons Laureatus, et in tenimento Barbari^{b)} in loco, qui dictus est Monocaria^{c)}, nunc autem Aquaviva, que monasteria ad Florem et eius ordinem pertinere noscuntur. Et si qua te vel fratres tuos alia in futurum largiente domino edificare contingerit, cum omnibus possessionibus et bonis suis fratres, homines et loca vestra sub nostra speciali protectione et defensione suscipimus confirmantes vobis hactenus acquisita et inantea iusto^{d)} titulo acquirenda et insultum in vos et homines, possessiones et res vestras temerarium penitus prohibentes. Precipimus, quatenus ex omnibus, que per privilegia domini quondam serenissimi imperatoris patris nostri et domine imperatricis matris nostre et per nostra privilegia vobis concessa sunt et quecumque tam stabilibus rebus quam mobilibus possidetis, nullus presumat violententer auferre aut in terris et possessionibus monasterii vestri habitationem facere aut chisinas^{e)} aut absque voluntate et concessione vestra et hoc, quamdiu vobis placuerit, audeat laborare aut laborando animalium vestrorum pascua impedire. Ita tamen, ut si alicui absque domus gravamine concessum fuerit, de iure terrarum, in quibus operatus fuerit, vobis et monasterio Floris respondeat absque dolo secundum quod vobiscum poterit convenire, nec littere aut scripta aliquam^{f)} vigorem^{g)} habeant contra huius privilegii nostri tenorem veritate tacita impetrate. Si quis autem contra hoc venire tentaverit et aliquid de possessionibus aut rebus monasterii vestri auferre presumpserit et id, quod ablatum fuerit, absque dilatione et diminutione aliqua restituat et pro contemptu mandati nostri penam sustineat transgressoris. Ad huius autem concessionis, donationis et confirmationis nostre memoriam et robur omni

II. b) *zweites b verba M*

c) *zweites o verba M*

d) *iuxta M*

e) *erstes*

s *verba M*

f) *aliqua M*

g) *vigore M.*